

## **De vermibus intestinalibus ... / [Johann Heinrich Weysser].**

### **Contributors**

Weysser, Johann Heinrich.  
Sigwart, Georg Friedrich, 1711-1795.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Typis Fuesianis, [1770]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pa8486kg>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DE  
**VERMIBVS INTESTINALIBVS**

S V B A V S P I C I I S D I V I N I N V M I N I S

*R E C T O R E U N I V E R S I T A T I S E B E R H A R D I N O - C A R O L I N Æ*  
*M A G N I F I C E N T I S S I M O*

S E R E N I S S I M O A C P O T E N T I S S I M O D V C E A C D O M I N O  
 D O M I N O

**C A R O L O**

D V C E W I R T E M B E R G I Æ E T T E C C I Æ R E G N A N T E

R E L . R E L .

D O M I N O S V O L O N G E C L E M E N T I S S I M O  
 C O N S E N T I E N T E G R A T I O S O M E D I C O R V M O R D I N E

P R Ä S I D E

*V I R O E X C E L L E N T I S S I M O A T Q V E E X P E R I E N T I S S I M O*  
 D O M I N O

**G E O R G I O F R I D E R I C O S I G W A R T**

P H I L O S . E T M E D I C . D O C T . A N A T O M . E T C H I R V R G . P R O F .

P V B L . O R D . M E D I C O A V L I C O

P A T R O N O E T P R Ä C E P T O R E S V O L O N G E C O L E N D I S S I M O

P R O G R A D V D O C T O R I S M E D I C I N Æ

D I E I A N V A R . M D C C L X X .

P V B L I C E D I S P V T A B I T

A V C T O R

**I O H A N N E S H E N R I C V S W E Y S S E R**

W A I B L I N G E N S I S .

*T U B I N G Æ T T P I S F V E S I A N I S .*





### §. I.

**H**omo à morte non tantum vermium cibus existit, sed & vivus parasiticos hosce nutrit hostes, ipsi adeo molestos. Innumeræ prope quidem circumferuntur de vermis, aliisque his cognatis insectis insolitis, & sœpissime portentosis corporis viventis incolis, historiæ, circa quas cavendum omnino nobis est, ne nimis credulos nos præbeamus, cum multæ modo à mulierculis vel superstitionis, vel callide deceptricibus, modo ab agyrtis fraudulentis, pro concilianda fatuorum admiratione, finguntur, & narrantur, ut difficile sit verum à falso extricare. Neque tamen iccirco non certum habemus, fidisque observationibus exploratum, nullam ferè corporis humani partem esse, quæ non aliquando vermium domicilium fuisset.

§. 2. Vermes nempe repertos esse legimus in oculis v. SCHENK & GARMAN. M. M. L. 3. tit. I. §. 94. in auribus v. EPHEM. N. C. Dec. II. A. II. obs. 59. SALMVTI C. 2. obs. 39. In cerebro v. BARTHOL C. I. h. 64. ZACVTI LVSIT. prax. admir. L. I. obs. 7. in corde v. A. N. E. L. an. 1719. Augst. p. 337. A. N. C. Dec. I. ao. 10. obs. 13. in pulmonibus v. RVISCH thes. anat. VIII. n. 95. in liene, pancreate, omento, rene v. GARM. L. 3. tit. I. §. 104. in ductu pancrea-



creatico v. magni MAVCHARTI *Diff. de lumbrico tereti*, in ductu  
pancreat. reperto 1768. in ductu chaledoch. & hepate v. KORN M.  
*M. M. P. 4. C. 71.* in ventriculo. v. BARTHOL. C. 4. hist. 77. GARM.  
*M. M. L. 3. tit. 1. §. 101.* in vesica fell. v. HILDAN Cent. I. obs. 60.  
in vena subling. v. A. N. C. Dec. I. ao. 8. obs. 100. qui sub V. Sect.  
egrediebatur v. PLENGNY ZOD. GALL. ao. 1679. Maj. obs. 7. Augst.  
obs. 7. Dec. obs. 7. ao. 1680. Mart. obs. 8. in saliva. v. A. N. C. Dec. I.  
ao. 10. obs. 130. in semine. v. GARM. M. M. p. 877—881. in cavo  
abdominis, qui intestina perforabant v. PLANC. Anat. pract. Cent. I.  
obs. 54. *cet.*

§. 3. Ut vero ubique locorum in corpore humano talia infesta  
reperiuntur, ita nullibi frequentius, quam in intestinorum tubo. Hi  
ergo primarium illud, circa quod, ut in rubro promisi, versabor hac  
vice *Helminthologiæ medicæ objectum* respiciunt. *Medicæ* repeto, &  
respiciunt, addo, nec *constituunt*, dico.

§. 4. Ita vero indicata (§. 3.) duplii hac ratione *genuinum* &  
*adæquatum helminthologiæ med.* quæ hic tractanda sumitur, *objectum*  
*exprimitur* adequatius. Neque enim qualemcumque *helminthologiam*  
intendo, neque totius *helminthologiæ med.* specimen molior. Aliquam  
ejus tantum partem volo, eandemque quidem, ut dixi, *primariam*.  
Ea enim toto suo ambitu multo amplior est, quam quæ hisce paginis  
comprehendi possit. Multa in ea habent, quæ exquirant ultra, & Phy-  
sices & Historiæ nat. Autores. Quæ hisce inde debemus repetenda, ea  
in nostro foro præsumenda sunt. Deinde quam late pateat ipsa pro-  
prie dicta *helminthologia medica*, præmissa (§. 2.) innuunt satis superque.

§. 5. Nostræ itaque *Helminthologiæ objectum* certe non consti-  
tuunt vermes. Vermes sunt vermes, non ipse morbus, de quo hic  
agendum est, ut cognoscendo nempe, & removendo, atque in hoc,  
ut in quovis Pathologiæ nostræ, articulo ante omnia debite *definiendo*.  
Mirum omnino, à limine toties hic impingere Pathologos, atque in-  
fusius tradenda vermium historia occupari, & de vermium potius,  
quam de ipso inde pendente statu morbo, solicitos esse, quasi vero  
ipso-



ipsorum vermium *definitiones* *Nosologiæ* hujus *definitivæ* genuinum præberent fundamentum. Ut sileam, vel ipsas vermium *definitiones*, & *descriptiones*, sæpius adeo mancas esse, quibus, *strictius* accepta hac voce, felicius forte substitueretur *Linneana* illa, qua dicuntur animalia acephala, apota, androgyna, tentaculis instructa, vel *latiori* & *familiariori* ejus significatione admissa, etiam illa, qua nec larvæ insectorum excluduntur. Sed hæc & similia egregie hic in medio relinqu possunt, utpote ab aliis naturæ Curiosis exactius excutienda. In hac disquisitione consultius visum est, vocabuli hujus posteriorem utpote familiariorem, usurpationem admittere, quum insuper in *Helminthologia medica* de accuratius determinando statu verminoso potius, quam de definiendis vermis, sollicitiores esse jubeamur.

§. 6. Vermes morborum catalogo dudum inscripti sunt. Pro receptiore igitur *loquendi usu*, quem ita sibi vindicarunt locum, eundem & retinere possunt omnino, modo intelligatur debite, qua justa nominis sui ratione eum obtineant. Id vero ex eo ipso sponte perspicitur, quod morborum indicibus ab omnibus inferantur Pathologis. Haud igitur ipsos proprie vermes, sed morbum verminosum, vocabulo hoc pathologico indicari, palam est. Vermes itaque, *pathologice dicti*, distinguendi sunt à vermis *proprie dictis*, atque impropriæ hic ita dictis, vel *proprius* substituendus est terminus, vel, ni id permiserit loquendi consuetudo, *proprius minimum significatus* pathologicus tribuendus. Dici autem haud incongrue etiam posset hic morbus, *morbus verminosus*. Hujus igitur, seu vermium pathologice dictorum, nomine in morborum catalogo venit ille ipse status, qui consistit in præternaturali vermium in viventibus præsentia.

§. 7. Plura huc trahi possent & subjungi, quæ vel ad breviter tactam (§. 3—5.) *Helminthologiam medicam*, vel ad proxime (§. 6.) substratam ejus *nosologiam definitivam*, sive illustrandam, sive ultra comprobandam, sive à dubiis contra illam ejusque usum movendis liberandam, aliquid conferrent, nisi pagellarum harum limites ea excluderent. Aliqua tamen hic non plane prætereunda sunt.



§. 8. Primo quidem cogitari posset, à nemine non pro causis morborum haberi vermes, atque hoc nomine eos in pathologicis produci, & præterea ea omnia (§. 3—6.) cuivis sponte obvia esse, eademque denique parvi momenti. Atat *priori* nomine morbus ipse verminosus, & causa ipsius, male confunderentur, & si dicta obtineret ratio, vermes in illa de causis morborum doctrina tantum locari deberent, non autem in morborum catalogo pathologico, quo quippe non ætiologica tantum, sed & ipsi morbi tractandi indicantur. Quod ad *secundum*, si quidem ista adeo facile omnibus obvia esse possunt, cur attamen obvia non sunt, nec talia esse observantur in vulgaribus de hoc argumento doctrinis? Si *denique* parvi, ideo tamen certe haud nullius, sunt momenti. Verum nec ea putari possunt parvi ponderis esse in systematica morborum pathologia. Sic etenim evitantur, quæ minoris hic sunt, & sæpius nullius, momenti, quin nonnunquam prorsus aliena, ut illa, quæ ad *Physicam* potius, & *Historiam naturalem*, quam huc spectant. Ita quoque non facile, ut alias sieri solet, negliguntur, atque exactius pulchriusque ponî possunt, & extricari, adeo necessariæ hujus ab aliis morbis, quibuscum facile confundi possit, *distinctiones*, ejusdemque in suas *species divisiones*, juxta quarum varietates variæ demum solidioresque *indicationes*, & juxtas exactius adornandæ *curationes*, dijudicandæ sunt. Quæ quidecim omnia enucleatius hic tradere non teneor, cum non *systema* condere, sed ex doctrinæ hujus systemate ea depromere constitutum habeam, quæ hujuscemodi specimini inaugurali congrua esse possint. Sequentia tamen strictim adjicere liceat.

§. 9. Res peregrinæ, Medicis dictæ, ipsæ quidem non sunt morbi. Earum tamen, eo ipso, quum sint, ut dicuntur, peregrinæ, præternaturalis in vivis existentia statum morbosum omnino constituit. Ejusmodi morbi in systematica Pathologia proprium sibi vindicant locum, &, ut a quibusvis aliis rite discernantur, apte dici possunt *morbi obsidionales*. Hisce accensendi sunt vermes, pathologice dicti. Qui morbus proinde æque bene appellari posset *obsidio verminosa*, ac *morbus verminosus*, ut perinde fuerit, sive priori, sive poste.

posteriori nomine illum insigniri placuerit, modo is discernatur à quavis alio statu verminoſo, quæ vox latioris est significationis, quatenus non hunc modo, sed quemvis aliū statum, vel vermibus ingenerandis aptum, vel ab his oriundum, adeoque & quævis ab illo dependentia symptomata complectitur.

§. 10. Reliquæ distinctiones hujus ab aliis morbis, qui in foro pathologico nonnunquam nimis impropriè vermium, & morborum verminosorum, nominibns veniunt, ut ab umbilicalibus, cardiacis, capillorum, digitorum vermibus, Germanis inde dictis: *der Geiz-Herz-Haar-Wurm*, *der Wurm am Finger*, quibus nominibus technice loquendo plane alii veniunt morbi, ut: *Herpes*, faciles sunt panaritium *cet.* Divisiones autem petendæ sunt à diversitate subjectorum, sedis vermium, vermium ipsorum, causarum, symptomatum *cet.* Ab hisce diversitatibus diversa dependet circa hunc morbum adornanda *therapia*, tam quoad illum *præcavendum*, quam quoad eundem *curandum*.

§. 11. Ex præmissa hujus morbi notione (§. 6.) & subjuncta (§. 9.) distinctione sequitur, non omnem statum verminosum esse morbosum. Paradoxon hoc non amplius dubium esse poterit, si vitæ nostræ in vermium consortio ubique degendæ conditionem consideraverimus. Vermibus, & verminosis seminiis plurima scatent. Millenis itaque modis hujuscemodi hostibus non possumus non esse obnoxii. Quam misera ergo nostra fors effet, si toties, quoties vel cibo, & potu, vel aëre, horum seminiorum gravo, fruimur, & infecta hæc ingerimus, ab iisdem morboſe semper afficeremur. Sed contraria nobis solatio est experientia. Prospexit nobis vitæ & sanitatis nostræ Autor, qui eam fecit naturæ & virium corporis nostri conditionem, ut non nisi nostra ipsorum culpa nobis nocere queant. A natura nobis data est ea ventriculi nostri vis concoctrrix, quæ facile ista omnia sine noxa subigere possit. Comprobant idem eorum exempla, qui quævis vermium plenissima e. g. Caseos, olera, carnes *cet.* comedunt, & tamen à vermibus magis immunes existunt, quam qui à similibus sibi quam maxime cauent. Ratio hujus phænomeni in promtu est. Congruam sibi matricem postulat verminosa progenies, qua hæc



hæc foveri possit, evolvi, & enutrirī. Eam præbet viscosa & putredinosa materies. Hanc ingenerat ventriculi debilitas, ejusdemque perversa digestio. Fractis concoctionis primæ viribus subigi amplius nequeunt vermes, vermiumque seminia, undecunque illata. Ex quibus proinde patescit, non omnem statum verminosum morbosum esse. Quid? quod sunt, qui eos interdum utiles esse, & necessarios, in infantibus potissimum addephagia laborantibus. vid. CLERIC. in Hist. Nat. C. 14. coll. J. J. NEVHOLDI observ. Pathologico - Therapeuticæ Altorf. 1737. Quæ vero sententia adhuc dubia esse videtur.

§. 12. Morbus hic denique consistere dicitur partim in *vermum*, partim horum in *viventibus praesentia*. Prius quidem, quod omnes reliqui *status verminosi*, vel ad causas, vel ad symptomata, illius referendi sint, vel in se talis non sint morbus; posterius autem, quod morbus non nisi in viva cadat, nec mortua, gratissima tum maximè vermium pabula, amplius ægrotare certè non dicantur.

§. 13. *Vermum* in primis viis hospitantium varias faciunt clafses. Alii quinque, quin plures, alii vero pauciores enumerant. Cum vero omnium consensu hominibus infensi dentur vermes, minus ordinarii, & ignotæ speciei, quibus proinde nullus certus locus assignari possit, Botanicorum more hos *heteroclitorum* nomine una comprehendam classe, reliquos altera. Solemniores notioresque vermes *triplicis* sunt speciei. Primæ nempe *Lumbrici*, ita dicti ob similitudinem, quam habent cum lumbricis terrestribus. Horum praesentia omnium frequentissima est. Eorundem alii *albidiores* sunt, procul dubio sincero chylo vescentes; alii *rubri*, *nigricantes*, qui impuriori chylo, & sanguineo latice una nutriuntur, prioribus maligniores v. TULP. l. 2. Obs. 49.

§. 14. Secundæ speciei vermis *tænia* est, stupendæ saepius longitudinis. PLINIUS mentionem facit triginta pedum longi. Ill. BOERHAAVIUS se latum triginta ulnarum vidisse scribit. Ipse Excell. DN. PRÆSES aliquoties Tubingæ obvias expulit aliquot ulnarum longas, & in uno eodemque subiecto per vices primo quatuor, dein duarum, postea decem, & denique sex ulnarum longa hujus vermis frusta.

§. 15.

§. 15. Hujus classis vermium plures iterum alii faciunt species præcipue perhibentes, alios cum, alios sine internodiis existere. v. SCHACH: *Diff. de Tænia*. Eos PLATERVS l. 3. Obs. non pro veris vermibus agnoscit, sed intestinorum quasdam membranas è chylo viscido genitas esse vult. De cucumerinis conf. Cel. KALTSCHMID *Diff. de vermis* §. XXV. qui ita de illis: *Dicunt quidem aliqui Autores, quod partes hæc sive articuli omnes cucurbitini vermes sint, qui morsicatim sibi adhaereant, sed nescio sane, quo fundamento vermes hi in intestinis ita locari possint, ut minimus proximum paulo majorem in una præcisè extremitate semper mordeat, & hic subinde proximum paulo majorem, donec ad maximum isto ordine perveniatur, qui iterum proximum paulo minorem pungat, & hic subinde proximum paulo minorem.* Et laudatus. NEVHOLD l. c. (§. IV.) scribit: *multo minus attendi meretur locus Jo. RIOLANI in Encheiridio Anat. L. II. p. 108. ubi dicit: Intestinorum tunica interior exscoliatur & secernitur, quæ creditur conversa in vermem oblongum, quæ tænia dicitur, de quo legendus Andr. SPIGELIUS in libello de lumbrico lato.*

§. 16. Tæniæ præsentia, quamvis, quam lumbrici, tardius molesta fiat, eo tamen ominosior est, quo serius illa detegitur. Totum intestinorum tractum illa sæpiissime occupat, illique diutius & pertinacius inhærens difficilius, prætereaque rarius, integra expellitur, & non omnibus expulsis frustis denuo celerius inerescit.

§. 17. *Solitarium* hoc esse insectum, unde GALLIS le solitaire audit, vulgo creditur. Consociatum vero existere docent observationes in canibus, & quibusdam aliis quadrupedibus. Multiplicem quoque fuisse in homine nonnulli observarunt.

§. 18. *Tæniæ & cucurbitinorum cognatio* valde obscura est. Si quid quidem conjicere licet, hos ab illa differre, nec dum evictum esse videtur, quum horum præsentia fidum illius signum præbere affirmant celeberrimi Practici.

§. 19. *Tæniæ descriptiones, & icones, nitidissimæ, quæ hodie prostant, notæ sunt.* In illis omnibus capite prædita describitur, &

depingitur. Sunt tamen, qui contrarium habent. Ita Cel. LIEV-TAVD in *synopsi praxeos med.* p. 242. capite, scribit, quodam donari bunc vermem, nusquam inter innumeros nostro examini subjectos vidisse contigit, quin potius illum in sectione cadaverum utrinque acuminatum reperimus, addens tamen: sed illud dubium in medio relinquimus.

§. 20. *Tertiæ speciei primæ classis* vermes sunt *ascarides*, vermiculis casei non absimiles, quamvis talis motus saltatorius in illis, non ut in hisce, deprehendatur. Sunt vermes tenues, breves, à parte anteriori, & posteriori, acuminati.

§. 21. Nonnulli statuunt, eos præsentiaæ suæ documenta exhibere tempore plenilunii, & novilunii iterum evanescere, vel saltim tranquilliores fieri, & in generatis à parentibus hæmorrhoidariis hisque molinibus hæmorrhoidalibus imminentibus pruritu suo continuo sanguinis affluxum versus intestinum rectum provocare, qui sensim sensimque in consuetudinem abiret, indeque etiam evenire, quod remedia hæmorrhoidalia immediate, & *specifice*, in intestinum rectum agentia contra hosce vermiculos valde egregiam præstare possint utilitatem.

§. 22. Vermes hi, quamvis anthelminticis externis potius, sedi eorum proprius applicatis, exterminari queant, nova tamen & numerosa soboles facile iterum nascitur ex residuo eorum seminio copioso. Ceterum reliquis minus periculosi existunt, quamvis neglecti graviora quoque incommoda post se trahere queant.

§. 23. Lumbricis, tæniis, & ascaridibus nonnulli quartam addunt vermiculorum *speciem*, exilium, teretium, excrementis infantum inhærentium. Sed hi sunt fetus lumbricorum tractu temporis in horum molem excreturi.

§. 24. Alteram (§. 12.) classem, vermium intestinalium absolvunt *beteroclitæ* illa animalia plane insolitæ fabricæ, quæ lacertas, ranas, viperas, aliaque insecta aliqua similitudine referre dicuntur. v. A. C. L. an. 1726. Nov. p. 496. ubi exemplum allegatur vermis sub vipercæ forma cum □ exclusi.

§. 25. De hisce extraordinariis intestinorum incolis plura habent VANISLIERI, ANDRY, LECLERC, & BIANCHY, qui multi erant in illarum historia tradenda.

§. 26. Neque tamen in intestinis promiscue nidulantur, sed modo hanc, modo istam, sibi suæque naturæ convenientiorem, intestinorum partem inhabitant. *Lumbrici* in tenuibus præsertim commorantur, & potissimum in ileo, *ascarides* in crassis, maxime in recto. *Tæniae* in utrisque sedem suam figunt.

§. 27. De *vermium origine* diversæ prostant sententiæ. Putredini, pituitæ lentæ, corruptæ & crassæ, ex pravis alimentis partim, partim ex vitiata stomachi coctione oriundæ, suos illos debere natales, existimant nonnulli, adeoque *generationem æquivocam* adoptant. Quæ vero sententia dudum neglecta est. Præcipue REDI suis experimentis demonstrat ex putrefactis nullum animal unquam generari, nisi animal quoddam semen suum in corpus putridum antea deposuerit, neque ex carnibus putridissimis vermes unquam generatos, quando aër adcurate exclusus fuerit. MALPIGIUS ea de re pariter experimenta fecit, & frustula carnis per longum tempus humo sepulta examinavit, nec unquam in illis vermes deprehendit.

§. 28. Profecto ut homines non à vermis, ita vermes non ab hominibus, sed vermes à vermis generantur, adeoque vel jam nati, vel nascituri, cum ipsorum seminio in corpus humanum deferuntur. Patent enim ipsis portæ, per quas intrare possunt; adsunt vehicula, quibus ingeruntur, cibi, potus, aër respiratione attractus, sordes in ano relictae. Nacta sic ipsis amica matrice in primis viis progenerantur, atque educantur. Neque ipsis denegatis est introitus in intimiores corporis nostri partes.

§. 29. Præterea vermes ab origine hominibus congenitos esse, & per traducem velut propagari, omnibus senioribus Philosophiæ principiis repugnat.

§. 30. Quæ vero circa vermium originem moventur dubia, ea partim non repugnant supra allatæ sententiæ, partim ad usus medicos



parum, aut nil, conferunt. Hæc tantum addo. Qui vermes humanos alios esse statuunt quam illos, qui extra corpus humanum deprehenduntur, ii urgent illorum ab his diversitates. Has equidem nemo negaverit, sed utrum illa discrimina essentialia sint, an accidentalia, prius illos demonstrare oportet, quam inde concludere possint, eos esse plane diversos. Locorum, nutrimenti, diversitas miras producere potest eorum varietates, eapropter haud mox pro essentialibus discriminibus habendas.

§. 31. Sed hæc (§. 30.) ut illa (§. 27—29.) de vermium origine in transcurso tantum. Hic enim non de vermium, sed de *morbi verminosi* origine agendum est. Missa itaque illa, suisque tutoribus relicta, vermium *aetiologya* ad nostram, *medicam* nempe, devenio. In hac de morborum, non de aliarum rerum causis, & originibus, disisciendum est. Causæ ergo præsentia vermium in nostra *Helminthologia aetiologicalia* indicandæ sunt.

§. 32. Singulari conditoris consilio factum est, ut etiam excrementa existentium, ac quævis destructa in novos denuo usus convertantur, ut ita aliis inutilia facta, & vel inimicissima, aliis existerent utilissima, gratissimaque. Ex eo quoque vermium existentia, tantaque eorum in nostra tellure copia, judicanda est. Usus eorum alios aliis relinquo Physicis, utpote huc non spectantes. Quibusvis animalibus datus est instinctus ad sui conservationem, generisque propagationem. Hoc ad quævis ipsis congrua pertinaciori feruntur stimulo. Simili vermes ad res mucosas & putrescentes. Has ergo eorum, vel matrices, vel nutrices, esse, communi confirmatur observatione. Eas futuræ huic habiles esse, ipse in iisdem copiosus proventus in macrocosmo testatur ubique. Idem & ita se habere in microcosmo, nullum est dubium.

§. 33. Quævis ergo cutis, morborum cutis, exanthematum, febrilium, & non febrilium, seu, quod alias magis obscure dicitur, chronicorum & acutorum, oris, in quo quicquid inter dentes relinquitur, insectorum minimorum incredibili copia refertum oculo armato

mato deprehenditur, genitalium, &ni, post fæcum excretionem non depurati, aliæ dictæ notæ impuritates, undecunque natæ, vermibus concipiendis fovendisque favent.

§. 34. Ingenerandis ejusmodi impuritatibus maxime obnoxia observantur intestina, utide, cur *intestinales vermes* omnium frequentissimi sint, intelligitur. Hisce (§. 32—34.) ni fallor, comprehenditur certa & primaria hujus mali ætiologia (§. 30.) Ex his, inquam, incolatus hujus verminosi *proximiores* colliguntur *causæ*, ex quibus porro *remotiores* facile deducuntur.

§. 35. *Causæ* nempe hujus morbi *remotiores* eademque tam *externæ*, quam *internæ*, sunt quævis corpus ita inficientia, ut: habitaculorum, indusiorum, lectorum, variorum vitæ generum, eduliorum, potulentorum, squalores, carnes proinde putrescentes, ▽æ impuræ, lac, caseus, olera, farinacea ita inquinata *cet.*

§. 36. Qui fiat, ut qui ab omnibus hisce sibi cavent, & munditiae studiosissimi sunt, nihilominus sæpius verminosi obseruentur, quam illi, qui omnia ista devorant, omnisque generis spurcitiei expositi sunt, id supra pridem dictum est. Qui benè ingerunt, nec benè digerunt, & egerunt, ii ejusmodi malam dispositionem sibi non possunt non contrahere. Nixia vel optimorum ingluvies necessario malam efficit digestionem. Male digesta corrumpuntur, & celerius abeunt in intosam, putrem, faburram, relinquunt itaque verminosam illam sentinam.

§. 37. Præterea ex præstructis facile perspici potest, cur infantes, pueri, fœminæ, latam & otiosam vitam agentes, morbisque putridis laborantes, toties vermibus adfligantur. Id unum monendum esse censeo, plurimorum morborum, in quibus vermes observantur, ut plurimum vermes non esse causas, sed hos illis debere suam existentiam. Erronea ergo censenda est eorum pathologia animata, qui e. g. quasvis cum vermibus conjunctas febres putridas aliosve morbos exanthematicos, chronicos, acutos malignosve ad pestem usque, à vermibus nasci perhibent.



§. 38. *Communiores dictæ causæ manifestæ sunt, peculiares, quibus efficitur, ut in his illisve, alii præ aliis, existant vermes, obscuriores esse videntur.* Hoc tamen ratum habemus, *lumbricos teretes, & latos, cum assumitis per os ingeri, ascarides autem ani immunditie allici, præsertim sub diurniori, illo patente & spurcato, mora in cloacis, æstivo præsertim tempore insectorum plenis, quæ ejusmodi sterquilinia avidissime appetunt, inque ea sua deponunt ovula.* Quod, ut similia, non satis perpendunt, quos ea circa sanitatis regulas socordia tenet, ut *os anumve purgare, molestum habeant.*

§. 39. Quæ denique reliquæ *privatæ* sint causæ, cur alii præ aliis verminosi evadant, id pariter ex præmissis facile interpretari licet. Vermibus præ aliis obnoxii observantur juniores, præsertim à sexto ætatis anno ad pubertatem, (rarius enim iis affliguntur lactentes,) dein senes, hominesque sequioris sexus. Nec mirum, priores enim natura magis pituitosa gaudent, & nimia ingluvie incongruorum alimentorum ventriculum debilitant, primamque digestionem lœdunt. Senes ob defecatum caloris vitalis fractasque primarum viarum vires pariter male digerunt, maleque digestis verminosæ colluvie fomitem præbent. Pulchrior sexus, qui dici fortè mallet, quam sequior, ob diætæ rationem, ob vitæ genus otiosum, ob morbos ipsis familiares, ob habitum corporis molliorem, & debiliorem, ad ingenerandam lentam, luteam, putremque pituitam proclivior est.

§. 40. Specialiores quæstiones, quæ in ætiologia hac moveri possunt, Cel. SCHACHTIVS in *institutionibus Medicinæ Libr. VI. Cap. XVII. §. VIII.* ita profert: unde intestinalium vermium origo? An ex putridis humoribus in intestinis contentis oriuntur? an vero ex ovulis producuntur? Unde illa ovula in corpus nostrum perveniunt? An ab insectis quibusdam excernuntur, & vel cum aëre vel cum alimentis deglutiuntur? an vero vermes nobis coævi statuendi, eorumque seminia, vel ovula à nostris parentibus cum semine paterno aut humoribus maternis ad nos delata fuerunt, qui suis iterum parentibus suos vermes debuerunt, & sic porro. An ergo ex primo Adamo ad nos usque per traduces quasi propagati sunt lumbrici? an verior nonnullorum sententia, qui

qui censent, vermes humano generi coævos sua ovula in intestina depone, quæ cum fæcibus excreta, in herbas deposita, dein ab hominibus devorata in eorum intestinis excluduntur? sed ad hæc & similia respondere partim non est bujus loci, partim jam responsum est in antecedentibus.

§. 41. Missis itaque ulterioribus ætiologicis ad symptomatologiam progredior. Ec quæ vero isthæc hic expendenda postulat? Forlanne vermium symptomata? Mirari possent, & ad hoc quæsitum, obmutescere, qui aliâs aliter sentiunt de ritè adornando hoc articulo pathologico, & nihilominus vix auditio illo ad idem affirmando respondere, absurdum esse, facile intelligunt. Sed hoc illud ipsum est, quod volo. De vermium symptomatibus omnino heic nulla est quæstio. *Symptomata accurate* loquendo morborum ipsis subjectis inhærentium sunt effecta. Vermes, ut dictum, non sunt ipse morbus, de quo hic agitur, quamvis sint *causa* ejusdem, eademque quidem *materialis* tantum, *formalis* enim in illo ipso consistit statu præternaturali, qui ex eorum præsentia resultat. Nec vermium symptomata ullo sano sensu dicerentur, quæ in illis occurrerent symptomata, illa morborum, quibus ipsi afficerentur, non ipsorum vermium symptomata dicenda essent, quæ vero sic dicta, non huc, sed ad morborum ipsorum vermium Pathologiam spectarent. Quid vero hæc ad nostram? nisi quidem velimus, illa morbi, de quo jam dispicimus, inde mutati indoli causisque accensere. Is etenim certè præsentibus his incolis, ipsi met morbose affectis, aliam induit faciem, aliaque proinde etiam symptomata producit. Quod vero ad priores doctrinas, nosologicam quippe, & ætiologicam, haud vero ad hanc symptomatologicam, referendum esset.

§. 42. Præterea quod de omnibus, idem & de hujus morbi *symptomatibus* tenendum est. *Symptomata* sunt morborum ejusdem subjecti, quod illis afficitur, effectus. Hi effectus vel iterum sunt veræ ulteriorum morborum causæ, unde, quæ dicuntur, emergunt *symptomata symptomatum*, pro concatenata causalitatum serie in exactiori Pathologia, debite ordinanda, vel non iterum veræ sunt *causæ*, sed *conditiones*, sub quibus aliæ veri nominis causæ, effectrices puta, alias effectus edere possunt. Quod momentosum discrimen in Pathologia,  
quæ



quæ ad solidiorem praxin satis apta esse possit, pariter nunquam negligendum. Plurimum enim refert proprius in ea intelligere, utrum circa has illasve potius, an circa utrasque simul, & quomodo, dato hoc vel illo casu, circa utrasque nostras debite instituere liceat curationes.

§. 43. Denique ab ipso morbo ejusdem *symptomata*, & ipsa *symptomata primaria* à *symptomatum symptomatibus* probe discernenda sunt, ut intelligamus ritè, quo singula ordine tractanda sint.

§. 44. Quæ vero omnia ad lectos ægrotorum præcipue enucleatius ita §. 41—43, perpendenda sunt, ea hic in compendio tantum exhibere jubeor. Verminosæ enim colluviei intestinalis phænomena & effecta diversa heic ne quidem omnia enarrare licet, ne dum fusius explicare. Eorum nempe alia *primaria* sunt, alia *secundaria*. Illa privata maximè, in ipsis intestinis occurrentia, hæc communiora, & publica. Hæc ut ex illis interpretanda, ita & iisdem postponenda sunt. Priora illa *symptomata*, & *symptomatum* horum *symptomata primaria* sunt: variæ in partibus his irritabilibus molestiæ, vel à solo eorum reptatu oriundæ, pruritus præsertim in ano ab ascaridibus, graviores morsificationes, rosiones, excoriations, à lumbricis præsertim, qui ex testimoniis cel. Naturæ Curiosorum, ut LINNÆI in *Syst. Nat.* ed. 12. T. I. P. II. p. 1076. & PALLAS in *diff. de infestis viventibus intra ventria* p. 13, aculeati sunt, & asperi, ut dito contra eorum asperitates ducto inque tabula prorepentes, retracti strepitum edant. v. R. A. JVS in *Historia Insector.* p. 2.

§. 45. Privatis intestinalium malis eapropter porro accensenda sunt à prioribus dependentia graviora harum partium termina, spasmi, inflammationes, quin imo perforationes.

§. 46. Prædictis (§. 44. 45.) incommodis addenda quoque sunt: insectorum horum excrements, quibus tubus intestinalis in cloacam quasi convertitur. Deinde continuum & celerrimum eorundem augmentum, quoad molem, numerum & copiam, indeque evenientes indies graviores obstructiones, atque oppletiones, chyli porro ab illis

con-

consumtio, ejusdem ab eorum spurcitie corruptio, funestum illud malum iliacum ab illis in unum glomum saepe convolutis. Alvus nunc fædis dejectionibus præcipitata, nunc retardata, & adstricta, dejectiones cruentæ, tenesmus, maxime ab ascaridibus, ventriculi intestinorumque debilitas, motus harum partium peristalticus perturbatus, depravata in iis digestio, dyspepsia, flatulentiae, ructus, vomitus, si in ventriculum irrepunt, dentium tremores, oris fœtor, ptyalismus potissimum jejuno ventriculo.

§. 47. Quæ, quod hic præcipue notandum venit, faburra verminosa relinquitur, nec eis, & quod toties fieri solet, datis vermes necantibus, neglectisque una expellentibus, ea omnium funestissima est, & infelicissimæ putredinis genetrix.

§. 48. Ex commemoratis, quæ intestina privatim ita experiuntur, *symptomatibus* reliqua, inde se latius diffundentia, facile deducuntur. Publicus est horum viscerum consensus cum reliqua œconomia animali, unde hæc universa, ne ipsis quidem animalibus functionibus exceptis, obsidionis hujus injuriis usque adeo obnoxia est, ut illa sic incredibiliter perturbata, striges comedisse videantur nervos verminosorum, & miseri hi ex fatuorum superstitione habeantur carminibus, beneficiis, artibusque magicis, & diabolicis incantati, atque effascinati.

§. 49. Dicta (§. 44—47.) nempe primarum viarum symptomata primaria totidem aperiunt primarias scaturigines *malorum symptomaticorum secundariorum*. Inde enim, & animi, & corporis, inque hoc quidem non modo fluidarum, sed & solidarum partium, ac quoad utrasque, tam materiarum, quam motuum morbi emanant, e. g. spissitudines, oppletiones, putores sanguinis, & reliquorum humorum ab illuc delata materia verminosa pituitosa, vel putrescente, vel jam putrida, præsertim ea, a vermibus mortuis relicta. Inde obstructiones pessimæ, & ab his se- & excretionum anomaliæ, defectus, & suppressiones, vel etiam excessus, morbi chronicæ, & acuti, febres intermitentes, & continuæ, putridæ, malignæ, quæ eatenus rectè dicuntur



*verminosæ*, discernendæ vero ab illis, aliunde inductis, malignis, quibus vermes ex accidenti accedunt, in se non verminosæ. Id quod pariter de aliis morbis, quibuscum aliquod verminosum complicatur, dicendum est.

§. 50. Huic symptomatum syndromæ adjungendæ sunt plures alia frequentiores sequelæ symptomaticæ v. g. obstrunctiones glandularum, maxime mesariacarum, vasorum lacteorum, unde atrophiæ, rachitides, arthritides, ventris inflationes, anxietates, transpiratio, vel suppressa, vel fœtida vermesque olens, ejusdem putoris urina, & copiosum putridum sedimentum verminosum in fundo matulæ relinquens, fœtore & reliquo suo habitu verminosam indolem prodens, oris & faecium, nunc siccitas, nunc mucosa molestia, faciei livor sub oculis, adque labia, aspectus luridus cet.

§. 51. Porro cephalalgiæ, narium hæmorrhagiæ, dolores ex abdomine vagi, fixi, continui, intermittentes, addephagia, voracitas sine incremento corporis, adpetitus sæpe caninus, nonnunquam etiam prostratus, frigidorum insuetorum appetentia, sitis, nausea, tussis sicca, sæpius ferina, convulsiva, pavores nocturni, somnolentia, insomnia, singultus, spasmi particulares, universales, convulsiones, epilepsia singularis notæ, miris agitationibus conspicuæ, quæ ad fascinum referuntur, & sæpe omnem fidem superant, animi deliquia frequentia, deliria, blanda & furiosa, seu melancholica & maniaca, ecstases, aphoniæ, surditates cet.

§. 52. Nonnunquam perrosis intestinis in cavum abdominis irrumunt lumbrici, malaque ascitica & tympanitica producunt v. *Blan-*  
*card. Anat. præf. cent. 1. obs. 54.* ubi aliquando abdomen, inguina & umbilicum, perforasse leguntur, qui casus in infantibus ob laxiorrem eorum contextum facilius occurunt. Ceterum & ductus excretorios, choledochum, & pancreaticum, obsident, unde icterus, & singularia digestionis vitia oriuntur. Abortus quoque provocare posse testantur  
A. E. L. Sect. V. p. 285.

§. 53. Verum verminosa hæc progenies non solum dictos, aliosve connexos, morbos excludit, sed quosvis alios præsentes mirum in modum anomalous reddit, & exacerbat. Hypochondriacos, hystericas, inquietiores reddit, arthriticos affectus auget, febres, hæmorrhagias, anomalas facit, plethoram simplicem cacochymicam reddit, cacochymiam præsentem auget. cet.

§. 54. Omnium dictorum (§. 47—53.) phænomenorum rationes, modosque fiendi, fusius hic explicare non licet. Majoris voluminis scriptum id postularet. Præterea illas ipse dictorum nexus, ni fallor, maximam partem ita prodit, ut frustra prolixior adderetur explicatio. Superesset forte, ut *semiologica* jam explanarem fusius, at nec hocce postulatum hujus esse loci, credo, eo quod illis ipsis prioribus jam satisfactum sit satis superque.

§. 55. Taceo, quæ hic, & alias, longis catalogis vulgo recensentur *signa*, maximam partem nil certi habere, & saepius adeo æquivoca esse, ut ne vel junctim sumta aliquid probent, quin imo haud raro sint plane erronea. Hæc ergo, si quid quidem hic ultra præstandum est, removenda sunt, & ex illis proprius examinandis potiora feligenda, ac denique, si, quæ sunt, *univoca* maxime accersenda, & indicanda. Erronea saepius esse de vermium existentia judicia, & centies hos accusari hostes revera non existentes, magnorum Practicorum testimonia docent. In exemplis frequentioribus sunt *pruritus* in ano naribusque, harum *frictiones*, *convulsiones* infantum, quæ ut plurimum æque erronee accusantur, ac in infantum *convulsionibus dentitio difficilis*, longe alias plerumque agnoscendibus causas. Si quidem ne plane asymbolos hic discedere velle videar, ab erroreis magisque ambiguis minus ambigua, & ab utrisque *certiora* hic separanda sunt, cum celeberrimis Practicis prævalentiora esse judico: Cardialgias insolentiores, salivæ profluviū jejuno ventriculo, singulares ventris quasi mortificationes, ani pruritus aliunde non repetendos, frigidorum & insolitorum appetitiam, voracitatem sine corporis incremento, & similia, ceteris scil. paribus, aliis nempe eorundem phænomenorum causis absentibus, id quod vero in ipso praxeos exercitio dictu non adeo proclive est.



§. 56. *Certioribus maxime, & univocis accensenda signa sunt, quæ ab halitu verminoso ex ore, ex perspirabili cutis, ex simili urinæ fœcumque alvinarum fætore petuntur.* Singulari enim ipsisque proprio odore, medicis naribus æque bene se prodit verminosa, ac multæ aliæ materiae peccantes. e.g. variolosæ, purpuraceæ, cariosæ, scorbuticæ, venereæ. Sed hæc diserimina rerum ab ipsa experientia discere oportet Medicos, id quod ipsis molestum habendum non est. Neque enim ipsos dedecet turpiorum ejusmodi morbosarum rerum minus grata exploratio, qua & hac in causa certiores fieri possunt ex secretorum conditione manifesto verminosa, nisi quidem ex recensione aliorum idoneorum insipientium id exploratum habere possint.

§. 57. Tantum de morbi ipsius, de quo agitur, cognitione *nosologica*, de ejus *causis*, *symptomatibus*, & *signis*, quos articulos cuiusvis morbi *pathologia* complectitur. Excipiat *pathologicam* hanc *theoreticam* doctrinam ejusdem *practica*. Ista quidem longius jam producta esse videri posset, quam quæ huic proportionatas relinqueret paginas. Atat sat spatii supereft, nisi quidem à me heic non desideranda desiderentur. Tantus omnino est anthelminticorum cumulus, ut vel eorum nomina non caperent plures paginæ. Tantus insuper diversarum de eorundem effectibus, viribusque arcanis, specificis, opinionum, & sententiarum proventus, ut ejusmodi certamen hic iniri nequeat. Præterea farragine illa, qua scatet Materia medica, carere possumus, & utiliter acquiescere paucorum comprobatorum selectu, prudenter facto. Quod vero ad illud sententiarum divortium attinet, id neque hujus loci, neque mearum partium esse, existimavi, qui polemica insuper, spinosa, & specimini tyronis minus congrua esse sentio.

§. 58. Sin a paucis, vel diæticis, vel aliis minus necessariis discesserimus, totum vermifugorum, fugandis nempe vermbus intestinalibus dicandorum, catalogum duo medicaminum genera complent, in eoque *digestiva*, & *evacuantia*, utramque absolvunt paginam. *Digestiva*, puta, data *termino* huic venia, utpote *technico* Medicis receptiore, quæ laudabili digestioni opitulantur, & *evacuantia*, per alium quidem maxime, sed non per hanc solam, verum etiam per reliquas

liquas vias, ubi nempe materia verminosa, ex primis in intiniores vias resorpta, non amplius per illas eliminanda est.

§. 59. Duplici hac armatura, quamvis hostilem ejusmodi obſidionem, eandemque quidem tam *imminentem* præcaveri, quam *præſentem* oppugnari, vincique posse, eo confidentius contendō, quo certius id partim à multiplici, niſi mea, non quidem plane nulla, *Excell. D. PRÆSIDIS* tamen, *aliorumque experientiſſimorum PRACTICORVM* *experientia* comprobatum habeo, partim à *priori* idem demonstratu proclive esse video.

§. 60. Si ab autoritatibus Aliorum, doctrinis usuque exercitatisimorum, dicta fusius corroboranda ẽſſent, quam plurima omni exceptione majora excitare possem testimonia. Duo hac vice instar omnium funto. Quæ alias tam operose traduntur anthelmintica, ea omnia illi *CARTHEVSE RVS* in tabulis formularum medicarum præscriptioni inservientibus paucis ita complectitur:

Tab. XXIV. exhibens anthelmintica quoad operandi modum & usum.

I. Anthelmintica agunt 1) materiam putridam mucidamque deſtruendo & educendo. 2) vermes necando & expellendo. 3) inertiam bilis corrigendo. 4) ventriculum debilem roborando.

II. Anthelminticorum generibus annumerantur

- a) *Balsamica moderate aromatica.* T. P. O. XII.
- b) *Amara & amaricantia* T. P. O. XI.
- c) *Mercurialia* T. P. O. X.
- d) *Laxantia & purgantia completa* T. P. O. XVIII.

*Uſus ex titulo & modo operandi patet.*

Deinde J. H. SCHVLZII HOFFMANNIANA vox hæc est: *Ad vermes enecandos & expellendos quatuor medicamentorum genera commendare licet, mercurialia, amara, & ſa, & Θſa.* Vid. ejusd. *Pathol. special. Sect. VI. §. XXII. p. 410.*

§. 61. Si duumvirorum horum enumerata quatuor, aliorumque cel. virorum forſan plura, vermifuga proprius adſpicimus, facile intelligimus, ea dictis illis (§. 58) duabus tantum classibus, nec pluribus



contineri, adeoque in illas, vitata *partitionis fallacia*, redigendas esse. Præter *laxantia* enim omnia reliqua, à laudatis viris recensita, solis, quæ addidit SCHVLZIVS, oleosis exceptis, revera eadem sunt, quæ *digestiva* nuncupantur. Quoad mercurialia dubium superesse posset. Sed *resolventia* quamvis intestinalorum saburram pituitosam, adeoque & verminosam, digestiva habentur ab omnibus. Mercurialia vero præ aliis pituitosa potentissime resolvere, communi constat experientia. Eadem ergo, ut hic possint excludi, tantum abest, ut inter potiora hic referri mereantur.

§ 62. Quum vero in veritatis foro sola autoritas nil valeat, nisi divina fuerint ejus testimonia, à solo veritatis Autore expectanda, adeoque vel famigeratissimorum Autorum autoritates nunquam solæ, obiterque admittendæ sint, sed cautius semper examinandæ, cumque rebus ipsis comparandæ, me pariter hic teneri sentio, assertum meum (§. 58.), utut aliorum autoritate suffultum (§. 60. 61.), proprius demonstrare, ne in aliorum placita jurasse, & a sola auditione habere videar, quæ adeo confidenter enuntiavi.

§. 63. Complexum illud est assertum (§. 58.) *complexa*, quod ajunt, *propositione expressum*, utpote *duplicis prædicati*. Anthelmintica nempe, vermis intestinalibus maxime opponenda, in ea esse dicuntur, primo *digestiva*, deinde *purgantia*. Utrumque itaque distinctius demonstratum ire jubeor. Prius hac evincitur demonstrandi ratione: Digestiva ea sunt medicamenta, quæ digestioni laudabili opitulantur. Ea, quæ huic inserviant, vermis locum non dant, datumve ipsis non relinquunt, adeoque tam certè ipsis contraria sunt, quam certe contra amica ipsis sunt male digesta, & putrescibilia. Quæ vero vermis contraria sunt, ea omnino anthelmintica habenda sunt & jure meritoque dicenda Q. E. I. Anthelmintica esse purgantia, multo minus dubium est. Purgantia ea sunt, quæ primas expurgant vias, quæ expellunt, quicquid in iisdem offendunt. Quæ ita operantur certe etiam quasvis obsidiones verminosas expellunt. Anthelmintica igitur eatenus sunt purgantia Q. E. II. Anthelmintica itaque certissime sunt digestiva, atque purgantia Q. E. D.

§. 64. Neminem fore credo, qui in rebus ad solidiorem praxin medicam spectantibus ejusmodi demonstrationes superfluae esse existimaverit. Sin tamen alterius asserti, tanquam per se clari, demonstratio minus necessaria fuisse putaretur, ejus modo usum proprius considerari velim. Ita nempe melius intelligimus, qua nominis sui ratione anthelmintica dicantur purgantia. Differunt illa *gradu*, & *specie*. Agunt qua purgantia, quæ quævis tubo intestinali contenta expellunt, adeoque & vermes inibi nidulantes, horumque spurcas reliquias. Quatenus ergo communi hac sua virtute idem præstant, eatenus anthelmintica audiunt, non alio *specifico* nomine ita dicenda. Unde consequens: purgantia non esse *specificæ* anthelmintica, nec dari talia. Sic altera ad alteram semper nos dicit veritas, levior nonnunquam visa, quam cui pressius demonstrandæ immorari oporteret.

§. 65. Similem necessitatem agnoscit, nec minorem usum habet, prioris asserti demonstratio (§. 63.). Ex ea pariter luculenter patescit, quæ sit anthelminticorum vermes, vermiumque nidos, destruentium ratio communis. Quæcunque nempe, ad bonam, vel conservandam, vel restituendam, digestionem faciunt, ea omnia verminosæ progeniei obstant. Id faciunt laudata amara, idem præstant quævis viscidum, & pituitosum destruentia. Ergo quævis sic dicta *resolventia*, quo potentiora, eo & potentius. Unde mercurialia omnium propè potentissima sunt glutinosa vermium domicilia, nidosque non modo, sed & ipsam eorum fabricam pituitosam, destruentia.

§. 66. Hæc planam monstrant sternuntque huic morbo occurrenti via. Ita in promptu habemus certa, & comprobata, anthelmintica. Ita ea non de nomine tantum cognoscimus, sed & quoad eorum virtutes, modumque per hos operandi.

§. 67. *Amara* digestioni corrigendæ favent, & hac ratione anthelminticis rectè accensentur. An ideo *specificæ* sunt? Ipsa bilis, aliaque amarissima, vermes saepius non abarcent, quod sane fieri debet, si quidem per se illis inimica essent. Eadem est ratio seminis *cynæ*, & similiū amaricantium. Cur ergo eorum usu toties torquentur infantes? Cur non substituimus alia, minus nauseosa, & idem præstantia.

§. 68.



§. 68. *Mercurialia* alias quoque pro ejusmodi *specificis* habentur. Atat eadem & in aliis multis morbis præstantissima præbent medica-  
menta, ubi viscidum resolvendum est. An ergo in iis iterum *specifi-  
ca?* Idem sentiendum de pluribus aliis, ita salutari solitis.

§. 69. De Salsis pauca addere liceat. Notum est *Excell. D. PRÆSIDI* exemplum feminæ, quæ quoties *brassicam salitam* come-  
derat, tæniæ frustula excernebat. Possetne itaque *miria* forte illius  
*specifici* loco haberri, darive? Certe non dabat *Excell. D. PRÆSES*  
ab hac opinione alienus, sed potentioribus illum hostem citius certius-  
que expellendum esse judicabat. Vulgare experimentum apud *BELGAS*  
est, *aquam saltam marinam*, largius captam, vermes expellere. *Halæ Magdeburgicæ aqua fontium*, ex quibus sal coquitur, vulgatissimum  
est anthelminticum. Circa *Halberstadium fons*, salubritate valde  
commendatus, *Hornbusanus*, de sale culinari participans, incredibi-  
lem copiam vermium multis exturbavit v. J. H. SCHVLZ *Pathol.  
Spec. S. VI. §. XXII.* An iccirco sal culinare, aut alia enixa, *speci-  
fica?* Hæc, & similia, ex indicatis principiis felicius sane explicantur.

§ 70. Quam plana certaque sunt, quæ de anthelminticis, ho-  
rumque viribus (§. 58—60.), dicta sunt, tam proclivis, & secura  
esse poterit istiscum instituenda huic morbo *medendi methodus*. Quem-  
admodum vero cuiusvis morbi, ita & hujus, *duplex* existit *therapia*.  
*Una* quippe *prophylactica*, quæ circa imminentem præcavendum, *al-  
tera*, vulgo *curativa*-dicta, quæ circa præsentem morbum removen-  
dum versatur. De *illa* in vulgaribus therapiis altum est silentium,  
cum tamen præ hac omnibus medicinam facientibus curæ cordique esse  
oporteret. *Etenim*

*Turpius ejicitur, quam non admittitur hospes;*  
semperque certe *melius est prævenire, quam præveniri*. Pleraque hic  
formatæ *indicationes* obiter vulgo non aliud præcipiunt, quam quod  
vermes enecandi sint, eorum nidi destruendi, cumque his illi expellendi.  
Verum enim vero ita ne quidem præsentis hujus morbi curandi indica-  
tiones satis distincte exprimuntur, & præterea sic ejusdem morbi præ-  
cavendi nulla habetur ratio.

§. 71. Cum *prophylaxeos & curationis anthelminticæ regulæ* maximam partem hic coincidant, brevitatis causa, illos non separatim indicabo. Juxta omnium *primam*, quæ se nobis offert, *indicationem* semper ante omnia respiciendum est, utrum vel immineat, vel reapse jam existat, ejusmodi status verminosus. Necesitas hujus moniti facile patet. Hostem metuere, & oppugnare velle, ubi nullus existit, in se jam absonum, & ridiculum foret, & hic insuper valde noxiū iis, qui sine vermibus vermifugis frustra excrucientur. Id vero sæpius hodienum fieri comprobat vulgaris vermium suspicio, toties animos multorum prehendens, & anthelmintica accersens, ubi plane exulant vermes. Hoc vero terrore panico se turbari non patiuntur prudentiores Clinici, certiores ea in re fieri adlaborant, convocatis supra dictis signis (§. 54-56.). Si ex hisce etiam nil certi eruere possunt, quod aliquando accedit, vel spectatores agunt, donec certiora se prodant, vel, si quæ accidentia ambigua vident, quæ medelam postulant, hanc ita dirigunt, ut expectationi satisfaciat, sive fuerit, sive non fuerit complicatus status aliquis verminosus.

§. 72. Illucescente morbi hujus, vel imminentis, vel præsentis, certitudine, ultra inquirendum est: cujus is sit indolis? Quæ ejus ad subjectum, cui insidet, relatio? quæ species?

§. 73. His cognitis explorandum est, unde ejusmodi obsidio verminosa, vel imminens, vel jam facta? An ab immundicie externa, a quo ascariidum progenies? an ab indigestis? & quibus? an a nimia inguvie, & inde orta ventriculi debilitate? Paucis, an a causis supra commemoratis, nec amplius hic repetendis?

§. 74. Porro symptomata consideranda, & expendenda veniunt, & reliqua antecedentia, concomitantia, & consequentia.

§. 75. Quæ hucusque proposita sunt praxeos anthelminticæ præcepta, ea in ipso illius exercitio adipicatu perquam facilia sunt, & ita comparata, ut reliquorum agendorum problemata tam plana, pronaque, tamque solitu facilia sint, ut, quod CICERO Ep. 258. dicit, *Æsculapius hic posset prescribere per somnum curationem valetudinis.* Istis nempe omnibus exploratis adipicanda sunt anthelmintica dicta (§. 58.),



pro ipsius morbi hujus verminosi *indole*, *specie*, *gradu*, pro *subjectorum conditionibus*, pro *causarum*, *symptomatum*, *complicationum*, aliorumque quorumvis *accidentium* varietatibus, ex præmissa pathologia revocandis, & per individua sub ipso praxeos exercitio proprius detegendis. *Individualem enim pathologiam*, *praxinque* in doctrinis scriptisque nostris medicis exscribi, tradique velle, idem esset, ac *adūvata* postulare, seu ea, quæ nulla ratione effici possunt.

**§. 76.** Anthelminticorum duo tantum posita sunt genera (§. 58.) Utrinque vero eorum plurima dantur. Selectu ergo opus est prudenter. Seligenda & præferenda sunt *simpliora* compositis, *efficaciora* inertibus, *tutiora* minus tutis, vel plane noxiis, usu *comprobata* ambiguis, *usitatiora* obsoletis, *dætetica* pharmaceuticis, *gratiora* nauseosis, adeoque amaricantibus, *amaris* v. g. Sem. Cyn. Rhab. cet. *contraria*, vel plane *insipida*, ut, *mercurius dulcis*, minimum *salsa* aliis correcta, faciliusque corrigenda. Generalioribus quidem hæc continentur præceptis nostris medicis, sed ad specialiora ea facile revocantur. Unum alterumve in exemplis ponam. Vulgaris est opinio hostes hosce fortissimo impetu aggrediendos esse, qui tamen ut plurimum certius expellerentur insidiis ipsis structis, quam tanto anthelminticorum armorum strepitum. Et constat, à vermibus, à tænia adeo, ita libera-  
tos fuisse multos, qui post multa fortissima purgantia ab iisdem adhuc vexabantur. Et quoties non adfiguntur verminosi verminifugis nauseosis, quibus æque bene substitui potuissent minus nauseosa. Taceo sa-  
pe plane effæta, aliaque, quibus frustra sæpius torquentur miseri.

**§. 77.** Ad dietas (§. 55.) rerum rationes præcipue exquirendum est, an solis digestivis, an contra solis evacuantibus, an vero utrisque, prophylaxin, & curationem anthelminticam expediri consultius sit?

**§. 78.** Huic præcepto hæc connexa sunt: si in subjectis, quæ purgantia non facile ferunt, idem præstari potest per sola digestiva, per eadem idem quoque præstandum est. Præstari autem id ita posse, nul-  
lum est dubium. Notum enim est, eam esse intestinorum vim dige-  
storiæ motusque expultricis in illis potentiam, ut vel ipsa natura,  
sibi relicta, eos non toleret, & sola subigit expellatque. Cur ergo ita  
adjuta

adjuta idem non possit præstare? Si vero ceteris paribus breviori manu idem expediri potest per laxantia, id non expediendum est longius producta curatione per digestiva.

§. 79. Quam maxime autem porro cavendum est, ne prioribus enecti vermes putrefcant relictæ, horumque cadaverum putrilago in humorum massam intimius resorbeatur, unde atrocissima, & longe graviora, quam ab ipsis vivis hisce hostibus, ingruunt. Præcepto huic repugnare videri possent modo (§. 78.) dicta. Vulgo enim id alii aliter proponunt, monentes ea ipsa ex ratione nunquam danda esse vermes destruentia, nisi simul vel interpositis, vel subjunctis purgantibus. Verum hoc præceptum non satis exacte ita exprimitur, quoniam non involvit alterum illud prudentioris præceptum, (l. c.) Dantur enim utique casus, ubi curatio solis vermes, ipsorumque faburram, destruentibus, apud teneriores fortiora non ferentes, absolvit potest, modo ista, sat larga manu, satisque diu continuantur. Hujus enim cautelæ neglectui debentur sinistri eventus, qui post data ejusmodi anthelmintica parcus data nec diu satis continuata, toties observantur.

§. 80. Quemadmodum duplex est ab hoc morbo verminoso imminens periculum, unum nempe, quod imminens, alterum, quod jam præsens, minatur *status verminans*, ab ipso verminoso statu semper probe discernendus, ita non promiscue circa utrumque versatur *prophylaxis* anthelmintica. Attentius itaque facto hoc discrimine, non exspectanda est ipsa hujus dispositionis verminosæ existentia, sed tempore curatius impedienda. Quo fine dispiciendum est, à quibus illa immineat causis? v. g. an ab immundicie externa, quæ removenda? an à diæta vitiosa, quæ corrigenda? an à primarum viarum viribus debilitatis, quæ restituenda? an ab aliis causis, ex præstructa ætiologia repetendis, & debitibus anthelminticis averruncandis. Hæc omnia solis diæticis plerumque efficiuntur. Nato vero jam fomite hoc verminante, non quidem neglectis diæticis, una in subsidium vocanda sunt commendata (§. 58.) anthelmintica. Danda sæpius sunt, copiosiusque, digestiva illa, quæ pabulum illud lutosum, vermibus concipiendis adeo aptum, destruunt. Addenda quoque, quæ idem illis subducunt, evacuantia. Hac methodo prophylactica pulchre certoque



effici potest, ut innocentes infantes a vermibus, horumque insidiis, aliisque innumeris inde pendentibus periculis liberi, valentiores exscent, adolescentque felicius.

§. 81. Pertinacius arma anthelmintica sæpius retinenda sunt contra hos hostes, donec ad unum omnes propulsi sint, omnesque eorum reliquæ exturbatæ. Ipsa eorum pertinacia id postulat nonnunquam. Uno salvo superstite, nulla pax. Nova progenies celerrime auge-scens, metuenda. Nullo etiam relicto, vel sola remanentia eorum pur-gamina novas alliciunt copias.

§. 82. Atat, ne aliena dictorum interpretatio locum inveniat, hoc addendum est. Pertinacius quidem contra hos hostes pugnandum est, sed non ultra, ac dictum. Plane etiam ab illis liberatis primis viis, nonnunquam tamen perdurant verminosa pathemata, non amplius ab ipsis vermibus, sed ab eorum retrimentiis, in sanguinem resorptis, oriunda. Sub hac rerum catastrophe putari posset, continuanda esse anthelmintica illa validiora. Quam infelix autem quæso! hoc tum esset præceptum, ita conceptum? Quam funesta juxta idem ita suscepcta curatio!

§. 83. Neque hic illud prætereundum est præceptum, quo jubemur lentè festinare. Non semper, ut fortè putatur, periculum est in mora. Diu sæpe sine vitæ dispendio tolerantur obsidiones verminosæ etiam graviores. Haud itaque justo impetuosiori festinatione, celeriusque repetitis, aut plane quotidianis, purgantibus pugnandum est. Quid? quod nonnunquam ab anthelminticis abstinentium est, urgentibus gravioribus malis, prius curandis, à quibus quippe vitæ dispendium citius expectari posset, quam à vermibus. Id quod de *febribus verminosis*, & *verminantibus*, maxime tenendum est.

§. 84. De *ascaridum prophylaxi & curatione* hoc notandum venit. Illa mundicie circa notas eorum sedes procuratur. Ad hanc parum conferunt remedia interna. Frustra itaque aloetica sæpius celebrantur, facilius removentur externis, ipsis immediate applicatis. v. g. enematis, seu, quod præstat, suppositoriis, quæ vero aliquandiu continuanda sunt, propter celeriorem relictis ovulis metuendam novam eorum progeniem.

§. 85. Ceterum πάρεργα sunt, quæ alias methodo huic anthelminticæ addi consueverunt, ut: *dulcia*, lac, sacharum, mel, quæ vel vermium gustui blandire, eosque clysmatum ope allicere, putantur, vel alio fine ingeruntur, *opiata* porro, illis inquietioribus sopiaendis, *oleosa*, iisdem necandis, dicata. Unum addo circa horum usum gravissimum, minusque solitum, mihi visum *Excell. D. PRÆSIDIS* monitum. Necandis vermibus oleosa dicata sunt. Hos ergo necant, enectosque relinquunt in celerrimam putredinem abituros, v.c. in febribus data. Quanto, quæso! his laborantium damno. Ita alias innocentissimum oleum amygdalarum dulcium, v. g. infantibus variolosis, vermibus una obseffis, pro alvo lubricanda aut miasmate varioloſo involvendo propinatum, certè variolosam materiam, vel benignam adhuc, in malignam convertit, vel malignam jam existentem maligniorem reddit. Tam facile data alias vel innocentissima, & fortè bono animo data, nocentissima fieri possunt, & lethalia. At bono etiam animo, sed malo artis consilio, talia dare, neminem sane excusat. Vincibiles errores culpam non tollunt, justoque serius introspecti certissime conscientiæ vermes, morsusque relinquunt.

§. 86. Plura quidem superessent, quæ huic addi possent helminthologiae medicæ, sed paginæ hæ ista excludunt. Ne vero ea planè prætermittam, methodo BŒRHAVIANA aliqua huic doctrinæ adjunctis comprehendere liceat *quæſtionibus*, talibus quidem, ad quas maximam partem ex prioribus faciles peti poterunt responsiones: 1) Cur animalia, animalibus infestantur, rationalia quidem, & irrationalia, tantum non omnia? 2) Cur vermibus præsertim? 3) Cur hisce homines præ brutis, interque illos infantes maxime? 4) An præter macrocosmum microcosmus adeo verminosus, ac perhibetur? Nonne sæpiſſimè immerito incusantur vermes? 5) Nonne ratum manet, maximam vermium, etiam in stupendos moles excretorum, copiam per os, alvumque ejēctam fuisse sine ullis prægressis concurrentibusve moleſtiis? 6) Nonne igitur fruſtra ſæpius vermibus tribuuntur symptomata, cum illis alias aliunde conjuncta? 7) An lumbrici humani iidem, qui terrestres? 8) An ex eo, quod juxta III. LINNÆI computum in ter-



restrium quolibet centum, & ex R A v calculo centum & quadraginta  
 annuli numerentur, & proinde circiter octinginti, vel mille centum  
 & viginti aculei cuilibet eorum competant, idemque asperi, & ad  
 reptatus commodum ita facti, ut uncorum instar, tabulis etiam durio-  
 ribus eos infigere possint, siueque ulterius se proripere, an, inquam,  
 ex eo concludere licet, humanos etiam ita aculeatos esse? An omnino  
 aculeis, ut illi quidem, sed subtilioribus praediti? 9) An in hac in-  
 quisitione naturae Curiosorum nonnulli lumbricum cum ascaride lum-  
 bricoide forsan confuderunt? 10) An ex eo maximè, quas  
 creant, molestiae, rationes, tormenta, spasmi, inflammationes, quin ex-  
 coriationes, & perforationes, intestinorum interpretandæ? 11) An huic  
 explicationi repugnat, quod Nr. 5) modo dictum est? 12) An? quem-  
 ve, physica quoque helminthologia medicum spondet usum? 13) An  
 illa? 14) an hæc æque ac illa theologicum quoque? 15) Ut illa de  
 vermibus effractricibus, de quibus SCHVLZIVS in egregia de illis dis-  
 sertatione? 16) & illa, quam Ill. MICHAELIS Eruditis in Arabiam  
 REGIS DANIAE munificentia profectis hisce commendavit: *Jobus*  
*vernum passim meminit.* *Hoc unicum ejus morbi momentum est, quod*  
*in veterum elephantiasi non deprehendo.* Tanto magis pernoscer aveo,  
*an in ulceribus hominum elephantiasi detentorum vermes nonnunquam*  
*pullulent.* v. *Frägen an eine Gesellschaft gelehrter Männer, die auf*  
*Befehl Ihro Majestät des Königs von Dänemark nach Arabien reisen*  
 1762. p. 104. Ad hæc, & proxime quæsita, nobis egregie satisfactum  
 ivit recentissimus harum rerum curiosus cel. J. A. MVRAY in eru-  
 ditissimo scripto suo, quo exhibet *de vermibus in lepra obviis, juncta*  
*leprosi historia, & de lumbricorum setis, observationes Reg. Soc. Götting.*  
*prælectas* 1769. 17) Quæ ascaridum ulterior cognitio? v. PHELSVM  
*Hist. physiol. ascarid.* 18) Cur infantes ascaridibus minime obnoxii? 19)  
 Cur lumbrici frequentissimi? 20) An vermes umbilicales, *die Geizwürm*, nil  
 aliud sunt, quam lumbrici per umbilicum exitum sibi parantes, ut habet  
 LIEVTAUD in synops. univ. Medicinæ Lib. III. Sect. II. p. 500. 21) An potius  
 superstitionis saepius fetus? 22) An similis prosapiaæ Crinones, &  
 Cirones? 23) An imaginationis fraudisve partus, quæ circumferuntur  
 de millepedum, hirudinum, cryllorum, scarabæorum, scorpionum,  
 ranarum, lacertarum, anguium ceter. in animalibus existentia histo-  
 riæ.

riæ. 24) An corpuscula illa viventia, quæ in sanguine, saliva, urina, aliisque laticibus recens egestis, post aliquam horam, armatis, & sape nudis, oculis observantur, antea in iisdem extitere? 25) Nonne fabulas dicunt, qui vermes crassiusculos per vulnus phlebotomo inflatum foras profiliisse testantur? v. LIEVTAUD l. c. p. 119. 26) Quid vermes intestinalis sibi volunt, qui saepe in magnis rejiciuntur morbis, quos tum vulgus vermem cardiacum nuncupat, & pessimi ominis esse vult? v. Pathol. nov. v. 246. 27) Unde inextricabilis tæniæ progenies? De hac conferre merentur J. J. NEVHOLDI *observ. pathologico-therapeuticæ* *observ.* III. 28) Unde illa aditum sibi parat, an aquarum, ea, ejusve seminio, scatentium potu? 29) An illa Tubingæ incola minus frequens? 30) Ecur, quam quandoque est, esse creditur? 31) Quid contra illam cortex Peruvianus, martialia, & spigelia noviter commendata? v. *Fränkische Sammlungen von Anmerkungen aus der Naturkunde, Arzneygelahrtheit, Oeconomie und den damit verwandten Wissenschaften*, Band VIII. p. 480. 32) Quid contra eandem gummi gutta, seu Cambogia, cuius, cum alia nil effecerunt, grana quindecim cum extracto gentianæ in forma pilularum una vice exhibita sunt? An hoc aliquod *quasi specificum* est, ut idem vocant Ill. AVTORES *Comment.* Lips. de rebus in re nat. & medicina gestis Vol. XV. P. I. p. 122. 33) An morbus verminosus epidemicus etiam nonnunquam existit? 34) An datur endemius quoque? Talis minimum esse fertur, quem tænia constituit, in regionibus septentrioni proximis. v. *Pathol. nov.* §. 245. 35) An peculiaribus vermium generibus peculiaria anthelmintica? An tæniæ specifica? 36) Quo salis grano hic accipienda sunt SCHVLZII verba: *ubi febres grassantur epidemicæ, in junioribus justam semper esse suspicionem de vermibus, præter alios optime comprobat NICOL. CHESNAV,* quare eo animus & intentio curantis appellenda, ut mature convenienterque illis occurratur. v. Ejus *Pathol. spec.* S. VI. §. XVIII. 37) An illud tale, quod in *Diario medico anni 1757.* p. 38. laudatur, nilque aliud est, quam oleum nucum cum vino hispanico, vulgo d'alicante, mixtum? 39) An contra eandem alia, quæ alibi proponuntur talia v. gr. sem. rut. corallina, æthiop. miner. & alia, aquæ minerales ferri participes cet.? 40) Quæ prognosis ex vermis in acutis excretis? Nonne rectè



LIEVTAUD l. c. p. 241. vermes inter graviorum morborum symptoma numerantur. Horum enim genesin fovent variolæ, & morbilli, non secus, ac febres putridæ malignæ, petechiales, epidemicæ, quæ hinc ab imperitis verminosæ dicuntur. 41) Nonne itaque magnorum virorum consensu morbi verminosi, febresque verminosæ, à verminantibus curatius distingui debent? 42) An vivi, enective, tutius expelluntur vermes? 43) An interest, utrum ore, an ano ejiciantur? 44) An eadem contra tæniam proficue adhibeantur, ut habet LIEVTAUD l. c. p. 244. 45) Nonne rectius idem sentit, cum l. c. p. 499. scribit, eadem præceps exitium afferre? 46) An externa hic operæ pretium faciunt? 47) An minimum in infantibus, ob laxiorem eorum contextum, trans quem ad intestinorum adita penetrare dicuntur? 48) An id inde concludendum, quod externa ipsi applicata alvum sæpe solvant? 49) An ideo sat valide, & ita, eam solvunt, ut vermes una exturbent? Nonne certior hic præfenda methodus? 50) An phlebiagoga hic peculiarum opem præstant? 51) Nonne illa in goga desinentia putatitia potius sunt? & si ita desinentia vellemus, nonne omnia laxantia potius dicenda essent panchymagoga? 52) An clysmata potius ex vermium generi amicis, quam inimicis, & deleteriis? 53) An ex fumo tabaci usui esse possunt? 54) An vinum anthelminticum, ut volunt Nova LIT. GERM. an. 1704. Mens nov. p. 408. Experimenta antihelmintica Rediana p. 87. MICH. PODEWINVS in vertilabro medico. conf. JOH. STORCKII Ant. practic. T. III. p. 586. & NEVHOLD l. c. (§. II.) Obs. 3. n. 2. p. 19. 55) An in febribus, quæ vermes comites habent, decoct. rad. graminis? 56) Quid spondet ♂ ex △ coctus? Nonne hæc, quod illi ejusdemque irradiationi & neseio cui alii qualitati occultæ tribuitur, nonnunquam potius præstat. Minimum suo aquæ largius captæ potu vermes, quin ipsam tæniam, expulsos fuisse constat. 57) Quid æthiops mineralis, & ♂ lis? 58) Quid ♀ in? 59) Quid ♂ diaph.? 60) Quid ♀ lia? 61) Quid ♀ ea? 62) Quid △ ea? 63) Quid corollina? 64) Quid O-la? 65) Quid nominatim vitriolum cyprinum à SCHVLZIO laudatum? & 66) illud BOERHA- VII O-? 67) Quid saponacea? 68) Quid graveolentia, ut allium, asa foetida, petroleum? 69) Quid similia calidiora? 70) Quid C. C.

phi-



philosophice & non philosophice præparatum? 71) Quid radix filic.? 72) Quid reliqua anthelmintica, simplicia, composita, pulveres, species, essentiæ, Elixiria, conservæ, confectiones, succi, sirubi, unguenta, emplastra, olea, aquæ, morsuli, trochisci? Vid. J. J. JANTKII *selecta scilicet materia medica p. 108. seqq.* Necdum anthelminticorum satis! Novis indies augetur eorum catalogus. Ecce tibi novissimum, &c., ut fertur, nobilissimum, sed à remotissimis terris ad nos deferendum, dicamne? an *delatum*, nescio. In Ill. nempe LINNÆI *amænitatibus acad.* seu *dissertationibus collectis, auctisque*, occurrit octogesima quinta, voluminis quinti, in qua illud legas. Inscribitur illa: *Spigelia antbelmia* cuius plantæ insignem virtutem contra vermes intestinales, NIGRITIS & INDIS primo cognitam, & dein BROWNIO in historia ipsius naturali Jamaicæ comprobata, mire extollit Autor, optans, monens, rogansque quam enixissime Medicos, ut *tam specifcum, tamque efficax, antbelminticum* in Europæorum Pharmacopolia introducendum serio curent. Dira vermibus vota! Tantane? ecquænam illis subscribendi necessitas nos premit? Hæc hac vice quæstionum anthelminticarum clausula esto. Plura enim quærere, amplius non audeo.

§. 87. Ceterum, quæ supra commendatorum (§. 58.) selectiorum anthelminticorum reliquæ sint rationes practicæ, quæ eorum doses, quæ formulæ, quis usus eorum omnium reliquus, non est, quod addam. Hæc utpote omnibus nota supponere licet, quin iis ipsis, literis ita consignatis, ad lectos ægrotorum ne quidem uti possemus. Vix enim exemplaria exhibent, in rem præsentem toties mutata deum ducenda, quoties alios atque alios curandos habemus. Quæ itaque, missis etiam hisce, hæc tenus tradidi, ea ita comparata esse existimo, ut fini præfixo satisfiant. Evolvi, consuluique rerum doctrina usque exercitatos Clinicos. Quæ a potiori eorum parte admissa, & comprobata cognovi, ea retinui. Et quisque eorum mihi acclamare vius est: *disce meam methodum, & habebis mea arcana.* Hac itaque altius menti infixa voce monitus, non potui non, non hæc, sed *illam*, quærere

T A N T V M.

E



PRÆNOBILISSIMO ATQVE DOCTISSIMO  
Dn. J. H. WEYSSER  
PHILOSOPHIÆ DOCTORI ET MEDICINÆ LICENTIATO.

S. P. D.

P R A E S E S.

**A**ut oblitus es, PRÆNOBILISSIME Dn. LICENTIA<sup>T</sup>E, aut egomet inter alia pro elaborando Tvo specimine inaugurali TIBI tradita, TECVMQVE communicata, ipse sum oblitus duo Duumvirorum celeberrimorum specimina helminthologica, ad rem præsentem maxime idonea, atque siccirco in his ad TE literis gratulatoriis non plane prætereunda. Unum nempe, quod perspicacissimus Philosophus & Medicus G. BRENDELIVS, GÖTTINGENSIVM quondam decus, edidit in Programmate ascaridodea Hippocratis paucis interpretante, recuso in EJVSDEM opusculis mathematici & medici argumenti, Göttingæ 1769. publicatis; alterum, quod acutissimus noster ELIAS CAMERARIUS, magnum olim pariter philosophico-Medicum oraculum, exhibuit in Diff. quæ inscribitur: Helminthologia intricata, Clericanis Andryanisque placitis illustrata. Tubing. 1724. Prior Göttingensis ille, germanus græci Hippocratis filius, suo ipsius exemplo, reque ipsa, inibi comprobat abunde, quantum ad Hippocraticæ familiæ dignitatem illis desit, qui, quæ græca sunt, non legunt, & Hippocratica, quia ab ipsis non leguntur, lettu intellectuque etiam haud necessaria esse, existimant, adeoque divino huic seni sèpius adfingunt, quæ ab Ejusdem dicendi & ratiocinandi consuetudine non tantum, sed ab omnibus adeo ipsius sancæ rationis castæque experientiæ æternis, & vel notissimis, placitis plane abhorrent. Id quod & in præsenti causa anthelmintica evenire, tam manifestum fit in laudato programmate, ut, qui contrarium amplius sentiunt, ad lucem cæcutiant, oportet. Ascaridibus adfici, qui ani, perinæi, & genitalium pruritus experiuntur, experientiæ res ideo certe non est, sed turpe sèpissime subreptionis vitium. Tanti vero vitii reum insuper arguere HIPPOCRATEM, adeo, hercle! non rudem, iniquissimum foret. Loca illa, in quibus per suos libros *exaga-*

*dundas*

διδῶν, quin ἀσημίδων mentionem facit, & ἀσημίδωδεσιν, a similitudine dictam, ad dolores imagine adficientis cuiusdam causæ exprimendos, edisserit, etiam sic, nec de vermibus ascaridibus accipienda sunt. Constat, perpetuum non esse, vermes cum ejusmodi pruritu adesse, atque in illis hoc adfectis multoties ne vestigia quidem vermium existisse. Haud raro, ut verbis idoneis Illius Interpretis pressius utar, videmus canes consimili modo laborare, & clunes atterere pavimentis. Nonnullos scrutinii cupido protinus ad dixit laqueo, at vermes, ascaridesque, omnino nullos exhibuerunt, muci autem vim, in intestino potissimum recto, vel ex folliculis istius liberaliter exprimendi.

Tam certo veritatis testimonio, ne quo hæc addantur fine, taceam, corroborantur egregiè, sique ad **HIPPOCRATICAM** dignitatem evehuntur, quæ illo etiam nondum introspecto, & propè præterviso, in **TVA** dissertacione jam dicta sunt de ejusdem pruriginis criterio, circaque idem phænomenon devitandis subreptionis vitiis. Nec minor censenda est, quæ ibidem assertis accedit auctoritas **CAMERARIANA**, ad **HIPPOCRATICAM** inde pariter assurgens. Quantumvis, nisi serius in manus incidisset, multis nominibus commendabilis illa helminthologia **CAMERARIANA**, quoad theoretica æque, ac practica, & utrinque quidem, tam quoad thetica in vero stabiliendo, quam quoad polemica in erroribus removendis, plura fuissent, quæ in usus locupletiores evidentioresque trahi potuissent, multa nihilominus tamen hac vice dilectorum superesse lætamur, quæ in theoreticis pariter atque practicis, & ab utraque parte, tam in veris sustinendis, quam in falsis, minimum erroneis, opportune meritoque carpendis, & rejiciendis, cum illis in laudata helminthologia, utut politius dictis, in unum consentiunt. Ceterum helminthologia hæc ideo intricata inscripta esse nequaquam putanda est, quod in se talis esset, aut habita fuisset ab ejusdem Autore, qui ex accidenti potius intricatam sibi visam ita extricare voluit, ut sic remotis illis, undecunque inductis, tricis, theoria, praxisque anthelmintica plenior certiorque redderetur. Hujus enim simplicioris integratatis medicæ Illum studiosissimum fuisse, præter reliquæ ejus egregia scripta, hoc ipsum æque ac praxis, ipsi olim receptionis, interque nos necdum oblivione deleta, abunde comprobatur. Quem honorem sine arro-



gantia sibi vindicare posse videtur in præsens quoque factum helminthologæ medicæ periculum. Medicæ sane disciplinæ non minus, ac reliquarum disciplinarum, proprium est, summumque fastigium, & ornementum, sancta solidioris doctrinæ simplicitas. Sola hæc eorum facies pulchra, sola, quæ cum nul latenus fucata, & plane genuina, pulcritudine veritatis gravitatem conjunctum habet. Eam vero haud adeo difficile illæ induunt, nobisque ita sponte & liberaliter arrident, modo ob oculos habere velimus, diligentiusque introspicerem, & exquirere, primarias rerum nostrarum causas, separatis ab hisce ubique, expunctisque quibusvis, nil ad eas spectantibus, potiusque vel ad inanem ostentationem frustra verbosius producatis otiosis, vel plane precariis, paralogisticis, saepiusque adeo fabulosis, ac superstitionis. Quid igitur quæso! ea solidioris cognitionis simplicitate, in Medicina præsertim melius facienda, magis in optatis esse possit, quid prius, quid antiquius, habendum? Age dum, **PRANOBILISSSME DLICENTIATE!** vigila ad eam semper & ubique in praxi. **TVA** futura. Lege; preme, undique satis obvia, tutioraque hæc vestigia **HIPPOCRATICA** in ipsa præsenti quoque causa præmonstrata. Eo enitere, & contendere, ut idem facias in ipsa porro prophylaxi & curatione vermibus afflitorum, infantum maxime, felix ita futurus Medicus anthelminticus. Ad eandem simpliciorem securitatem revoca & reliquam **TIBI** faciendam Medicinam, ut ita ab omni parte in expedito habeas, quo possis fortunatior evadere Clinicus. Faxit **DESVS**, ut simplici & plena hac medendi ratione, quæ conscientiæ vernibus nullum relinquit locum, multis solatio sis ægrotis. Cæterum, quos post sat longam, quam haud malè lentè festinando egisti, vitam academicam, merito jam consequeris honores, eos **TIBI** enixe gratiaror, sicque quævis fausta precatus **TIBI** & in posterum de meliori me commendatum esse volo.

è Mus. d. 20. Jan. 1770.

